

tradita est, ut jam tum Articulus III. A.C. totus probatus sit ab adversariis nostris Apol. A.C. p. 59. novis tamen haereticorum antiquorum nominibus proscindimur. Salutamur illis mox NESTORIANI a BELLARMINO de Not. Eccl. c. 9. art. 46. nec non SANDAE O in Castigat. p. 289. & per extremam malitiam Lutheranis & Calvinianis eadem doctrina tribuitur, quibus tamen hic tanta intercedit differentia, quanta coelo & terrae : Etsi enim posterioribus, sigillatim BEZAE Nestorianismus jure exprobratus in Colloquio Mompelgartenensi fuerit, vid. *Acta Colloqv.* P. I. p. 86. ab illis tamen longis intervallis nos separatos esse ipsi norunt quam optime Pontificii ex tot libris, quibus haec doctrina Calvini & Bezae, fuit refutata praecipue *Form. Concord.* p. 764. ubi Nestorii error recocitus totus ab ecclesia nostra eliminatur, quo vel indirecte vel directe aliquid docetur, quod divellere naturas possit & constituere eas ἐχθρας διηρημένως καὶ ακοινωνήτας πρὸς εἰαυτάς. Quod si itaque ulla abest haeresis a nobis, uti abesse per DEI gratiam certissimi sumus, abest sane Nestorianismus & crassus & subtilior, deprehenditur vero crassissimus in ipsis Scholis Jesuitarum, ut patet ex Thesibus de Majestate Christi adversus JACOBUM ANDREAE Ingolstadii defensis, & a Crypto-Calvinianis tunc in hac Academia ad consensum doctrinae demonstrandum recusis, quae totae Nestorianae deprehenduntur. Sigillatum Lutherus dicitur NESTORIANUS Bellarmino, l. c. quod cum Nestorio Patres veteres contemnat, quos tamen tanta in veneratione habuit, ut iis legendis magnam aetatis partem vendicaverit, saepius eos adducat, nec ab illis recedat, aut illorum sententias relinquit, praeterquam ubi manifesto deprehendit eos aliquid, quod Scripturae contradicit, docuisse, ubi sane eos animose sibi deserendos putavit: & de eorum erroribus masculine & in-